Cracoviensis Studior. Univ. Jagell.
Promotiones Philos. Ordinis
1641. mense Octobr.
Stachetka Jzn Staniel: Ancylia Palladis
Academicae.

~~Pozycja~~ 2838.

ANCYLIA
PALLADIS ACADEMICÆ

V. V. D. D. primam in Artibus, & Philoſophiâ lauream prenſantibus.

In

PERAVGVSTA DIVI IAGELLONIS AVLA.

Promouente Excellent. ac Doct: Domino,

D. IOANNE CYNERSKI RACHTAmouio, Collega Maiore, Eloquent: Profeſſ: Tyliciano.

A B

IGNATIO STANISLAO SLACHETKA Leopolien:
Eiuſdem Primæ Laureæ Candidato, Amoris ergò

DEDICATA.

Anno Domini 1641. Menſe Octob: Hora 15.

CRACOVIÆ, Typis Franciſci Cæſarij.

IN ARMA PERILLVSTRIS DOMINI.



PHæbus vti Lechiam ſurgentem vidit ocello,
Mox nitidum lumen nobile ſtemma dedit.
Fulſit in orbe Lechi veluti Latois, & ad ſe
Omnia pertraxit ſtemmata clara Ducum.
TARLOVIANA domus pulchro micat hocce nitore,
Quo genus; & laudes ornat vbiq; ſuas.
Aſcia perge triumphales aditura penates,
Vincis enim cunctos marte, vel arte viros.

Perillustri & Admod: Reueren: Domino,

D. ANDREÆ

DE SZCZEKARZEWICE

TARŁO.

ECCLESIÆ CATHEDRALIS CRACOV: Canonico, Præposito Tarnouiensi, Decano Opatouiensi &c. Domino, & Mæcenati Amplissimo, S. & F.

ANcyle scutum cœlitùs temporibus Numæ Pompilii delapsum Tuæ Perillustri dignitati Perillustris & Admodum Reuerende Dñe, hoc tempore demisso animo curaui dedicandum. Nec vt parum decorum hoc quisquam accipiet, si rationem pensitet. Arma enim, quorum vsus est, quâ pace, quâ bello auspicatus; vt est, fuitq; semper in hoc Regno Patriæ florentissimo Asciæ Tuæ Gentilitiæ; quid vetat armis aliis, quasi amplioribus ornamentis cumulari. Arma non nemo, & Patriæ salutem pari lance reponebat, cum quæreret, saluusne esset Clypeus, & Patria. Rutilet Ancyle meum ad splendorem Tuæ Asciæ lunæ instar, quando solis lumen participat, & me in laboriosâ cum Candidatis Primæ Laureæ decurrentē orchestrâ sub patrocinium suscipere non recuset. Clarissima Tua Familia summo semper amore prosequebatur Al. Acad: Cultores, atq; etiamnum in Te vno propensissimè prosequitur, recipiebat sub Clypeum humanitatis doctissimos viros, cuius benignissimo adiuti fauore, per spinosum studiorum Hyppodromon cum hilaritate decurrebant. Liceat igitur mihi Nobilissimā Prosapiā Tuā appellare tutissimum Scutū. Quid enim? an non in varijs Patriæ periculis contra hostē exstitit Clypeus? an non à florentissimo Poloniæ imperio, nefarios insultus veluti aliqua densissima tela scuto propulsauit? Quid illa Ascia Gentilitia indicat? indicat magnitudinem animi, quæ toties hostium colla veluti ferocissimorum Gigantum amputauit, quoties arma, ferrumq; sumpserunt, ad extinguendum Patriæ ornamentum. Antiqua Gentilitas dum nouum Militem colligebat, Clypeum ei tradebat, vt quâ virtute victoriam tentaret, illam clypeo efformaret. Nos Regina Virtutū, &

studiorum Academia, non in Martium educit campum, vt nouos Primæ Laureæ Candidatos, vbi ingens signorum, ac classicorum sonus, armorumq; horrendus clamor auditur, sed in Palladianâ constituit arenâ. Te Perillustris Domine, vti noui Milites Propugnatorem deposcimus, sub Tuis felicissimis Auspiciis amæniores in hoc difficili negotio progrediemur. Elucent magnanimæ Virtutes Tuæ, non solùm Clarissimæ Familiæ, verumetiam omnibus illas admirantibus pulcherrimum præbent spectaculum, resplendescunt in Religionem amplissima merita, Pietas coniuncta Benignitati vberrimè florescit, Iustitia præclarissima virtutum in Tuo placidissimo requiescit gremio. Quæ omnia cum in Te video veluti in aliquo Clypeo insigni figurarum discrimine insculptas sublimes dotes intueor, facilè arbitror hoc meum leuidense munusculum grato animo suscepturum, & quando in Te viget amplissima Benignitas, in amoribus hoc Ancyle meum habebis. Viue fortunatus Nobilissimæ Familiæ, Almæ Academiæ, & in promouendo Ecclesiæ Orthodoxæ ornamento

Troica dignus
Sæcula, & Euboici transcendere pulueris annos.

Perillustris & Admodum Reuerendæ
Dominationis Tuæ

Deuotissimus Cliens.

Ignatius Stanislaus Slachetka
Eiusdem Laureæ Candidatus.

Excellentiſſimis, ac Doctiſs: D D. Examinatoribus.

INclyta Muſa nouas tandem depromito voces,
Dum lumen roſeum vibrat ab ore Phanes.
En remicant pulchro ſplendore palatia Pindi,
Parnaſsique fremunt pegmata lætitiâ.
En Dux Caſtalidum, Latonæ fulgida proles,
Curis edomitis gaudia nectit ouans,
Et tentat dulcis Cytharæ reſonantia ſiſtra,
Pectine Theſſalico, lacteolâque manu.
Accerſit placido modulamine agema virorum,
Quos iam delicium Dia Minerua vocat.
Illicò cunctorum præcinxit tempora lauro
Phæbus, & Aſcrææ metra dedêre Deæ.
Voce ſalutauit lætâ, & ſuauiſsima dicta
Prompſit ad aduentum pectore magnanimo.
Sedibus excepit gemmis, auroque coruſcis,
Atque ibi tentauit garrula plectra chelys.
Duxit in hyblæos hortos, & gemmea regna
Pæſti, quæ Chloris vallat honore ſuo.
Obſtupuit primò aſpectu defixa Camæna,
Et me ſic verbis dulcibus alloquitur:
Siſte citum greſſum bellator Palladis almæ,
Fluctibus in dubijs fer mihi quæſo manum.

Qui ſunt, quos viridi Stephanomate cinxit Apollo?
Et ſtudij claras ſuppeditauit opes?
Tunc ego quærenti reſpondi, gloria noſtra
KRASNICIVS, fulgens & decus Aonidum.
Dotibus ingenij præſtantis ſplendicat inter
Phœbicolas cunctos, Pierioſque choros.
KRASNICIVS Suadæ mellitæ lumen amicum,
Delicium doctæ Palladis, atque nitor.
Hunc verò ſequitur multâ celebratus in arte
MODLINIVS, Clarij ſplendor, amorque Dei.
Hunc artes Muſæ viridi docuêre ſub æuo,
Et pectus ſtudijs erudiêre ſuis.
Nectare mellifluo Pithonis labra rigarunt,
Et Nymphæ latices ſæpè dedêre ſuos.
Doctus Ariſtoteles muniuit robore mentem,
Præbuit & Iuris Iuſtinianus opes.
Procedit tandem DAMBROVIVS ore diſertus
Principis eloquij, fulgor Ariſtonidæ.
Cuius in ingenio ſublimi, non ſecus ac ſi
In ſolio Pallas regnat amica ſuo.
Hi ſunt qui noſtris conatibus aurea ſerta
Texerunt, & opus condecorâre genis.
Illorum ductu Scyllas, vaſtaſque Malæas,
Riſimus ad Zephyri flamina blandiſoni.
Aſtra duo nobis luxerunt, aſtra benigna,
Heſperus in roſeo dum niger ibat equo.
Eſt nobis Cynoſura coruſca, CYNERSCIVS, eſtque
SPERONOVIVS fulgida fax Helices.

Viuite

Viuite Tithonis vitam, quos vexit in altum
Gloria, quos ſemper Muſa perennis amat.
Viuite felices, omnes ex corde precamur,
Mella fluant vobis, fundat amoma rubus.

ANCYLE ROMANORVM
Variis colorum adumbratum pigmentis.

V. D. Ioanni Vincentio Mucharski.

SPectande Miles quid fera prælia
Martis paueſcis? Pallas adeſt tibi
Munita loricâ rigenti,
Quid trepidas generoſe Miles?
Enyo clemens depoſuit minas,
Deprælíantes fortiter horrido
Ferro maniplôs diſsipauit,
Et validam rabiem furoris
Strinxit catenis: lumine ſplendicant
Vultus ſereni, candida tempora,
Annoſque ridentes peroptant
Blandus Apollo, nitenſque Pallas.
Aſſume vires, robur & Herculis,
Atlantis inſtar pondera ſuſtine,
Vaſtos labores non paueſce,
Omnia ſedulitate vinces.
Aſſume claram Patris imaginem,
Pulchri colores, ô quot ibi nitent
Doctæ Mineruæ, litterarum,
Ingenij, Sophiæq; dotes!

An-

Ancyle missum dat tibi laureis
Ornata signis Alma ACADEMIA,
Depinge virtutes in illo,
Eximijs, nitidisque factis.
Solers MVCHARSKI Palladis inclytæ
Bellator artes pectore sic colet,
Vt purpuratus plausus illum,
Et radiosus honor sequatur.
I prosper, ætas florida postulat
Ad assequendas currere laureas
Sublimiores, perge faustè
Et patrios imitare passus.

ANCYLE AGAMEMNONIS.

In quo depictus Leo flammas de ore spumabat, cum tali Lemmate Virtus fortunæ Agamemnonis.

V. D. AVRELIO ALNPECH Leopolien.

GRessum siste precor Cynthie lauriger,
En te sacra vocat Thespiadum domus,
Fontes, prata vocant gemmea, nubiger
Hæmus floriferis collibus annuit,
Thyrsis laurigeris Cyrrha nitens, caput
Submittit roseum, siste gradum precor,
Clamant Aoniæ pegmata Phocidos,
Ad voces redijt protinus omnium
Præcinctus dibaphâ cyclade Cynthius,
Spectauit Iuuenem dotibus inclytum

Natu-

Naturæ, placidum prompſit ad hunc melos:
Ardentem clypeum ſume Agamemnonis
Virtutis ſpecimen, robur aheneum,
Vinces crede mihi, ſæua pericula
Fortunæ, ſtudijs dum labor arduus
Iungetur. rutilas non ſecus ac Leo
Flammas Mulciberi magnanimus dabis,
Dum virtute tuâ clara Leopolis
Illuſtrata petet Sydera. laureæ
O ALNPECHI nouæ ſuſcipe gloriam.

ANCYLE PALLADIS

Geſtabat horrendum ſaxificæ Meduſæ caput.

V. D. IOANNI WOSCZYNA.

PLaude victrici redimita Lauro
Muſa, iam veſtrum decus in palæſtrâ
Feruidâ cultæ renitet Mineruæ
Omine fauſto.

Ille bacchantes vehementer æſtus
Riſit angorum, rigidi laboris
Caucaſum vidit, nec ad eius atrum
Palluit ortum.

Tædij vicit rabidas Charybdes,
Dum dabat ſuaues latices Apollo,
Dum miniſtrabat rubeis labellis
Nectareum mel.

Proſperi venti tibi ſeruiebant,
Ad Pharon claram tua cymba venit,

Cinge, cum portum retines Ioannes
Tempora ſerto.
Palladis ſcutum tibi fortiores
Addidit vires, caput & Meduſæ
Cuncta concuſsit. Sapientis hocce
Lumen habeto.

ANCYLE ALIARCI
Magni Ducis Dracone inſignitum.

V. D. IOANNI BVIAKOWIC.

AVditis, an me decipit inclytæ
Imago pompæ? iam videor ſonos
Audire crebrò geſtientes,
Per rutilas Heliconis arces.
Felix curules BVIAKOWIC premit,
Vectus iugali Bellerophontis, ad
Stellata Famæ templa tendet,
Dædaleæ nouus hoſpes aulæ.
Amæna tot certamina proſpero
Strauit Gradiuo victor amabilis,
Duros Gigantes, æſtuantem
Enceladum, validumq; Rhætum.
At. Qui Gygantes? agmen inertiæ:
Quæ bella? Muſæ ſentio prælia,
Vmbone munitus fugabis
Omnia, dum modo cura ſolers
Crebrò vigebit. Fer vigilantiæ

Signum

Signum Draconem, Magnanimi Ducis
Hoc Symbolon clarum, manebis
Semper in eximio virore,

ANCYLE MAGNI ALEXANDRI

Fulgur tenebat depictum Generositatis Symbolum.
V. D. SEBASTIANO MACHOWIC.

ECquid tam volucri pergimus impetu
Fortunæ, dubios lumina quo trahunt,
Si tandem cupimus fulgida ſcandere
Virtutis Capitolia.
Eſt calcanda prius vepribus vndiq;
Circumſepta feris horrida ſemita,
Quam non ſtipat honor Chloridos aureus,
Nec florum roſeus chorus
Præbet puniceas luminibus genas.
Solers Machouius Theſpiadum nitor,
Attentauit iter vepribus aſperum
Virtutis pede libero.
Nunc iam pulchra tenet præmia Palladis,
Et parmâ nitidus, non metuet ferum
Fortunæ iaculum, fulgure gloriæ
Splendebit Patriæ ſolo.

ANCYLE TROIANORVM.

Pulcherrimum virtutis ſchema in ſcutis Minerua.

V. D. STEPHANO SZVMOWIC.

LÆtum Muſa canat melos,
Io Pindaricis plauſibus intonet,
Formoſæ Charites noui
Concentus geminent dulcia chromta.
Geſtando Sapientiæ
Signum doctiſſonæ Præſidis orbitæ
Fauſto SZVMOVIVS pede
Acquiſiuit opes velleris aurei.
Iaſonem Vigilem Deæ,
Veſtris Aonis cingite laudibus.

ANCYLE CAROLI.

Ducis Cliuenſis conſtructum ex cordibus

V. D. IACOBO SMOLINSKI.

DOcta cohors Heliconiadum tribuit decus Coronæ:
Smolinſcio ſolertiâ nitenti
Non ſecus ac veluti Theſeus labyrintheos receſſus
Vicit laborum blandiente filo:
Mactauit Minotaurum Deſidiæ trucis, frementem
Proſtrauit Ignorantiæ Draconem.
Perge bonis auibus Smolenſcij cur paues recuruos
Sphyngis tumultus? Gordioſq; nodos?
Te Pallas valido cinxit clypeo, fauorq; tela
Aduerſus ictus ſubminiſtrat almus.

Cordibus

Cordibus insignem clypeum tibi Apollo doctus offert.
Apprende virtutis tuæ nitorem.

ANCYLE CASTORIS & Pollucis,

In quo Cygnus pulcherrimè depictus conspiciebatur.

V. D. IACOBO MEDONOWIC.

CYgne gloria garruli fluenti,
Mæandri decus inclytum strepentis,
Mollis Cygne tuo sono canoro
Alarumque nitore candido, omnes
Pennatas auium præis phalangas,
Ne te Strymonij rigor Bootes,
Ad grati vada pertrahat Caystri,
Ver MEDONOVII dabit serenum
Insignis Probitas, Minerua fontes
Suaues ingenij tibi parabit.
Hoc amplectere Symbolon, micabis
Et pulchris studijs, soloque dulci.

ANCYLE ALCIBIADIS.

Amor cum ignibus, & spiculis insigne.

V. D. IOANNI MVCHOWIECKI Leopol.

ADsis fama citis Aquilonibus vndique cincta;
Diceris esse celer.

Diceris altiuolas nubes habitare, lupatoque
Aſtra tenere ſuo.
Perge Leontopolis buxo celebrare canoro
Stemmata, facta, viros.
En Iuuenes capiunt primordia Palladis, almum
En Stephanoma gerunt.
En iam MVCHOVIVS ſtadium decurrit, honores
Prenſat Olympiacos.
Apprendit Clypeum, cui pulcher amor noua præbet
Tela, faceſque nouas.
Sors bona MVCHOVIVS patriam decorabit amore,
Conſilioque graui.

ANCYLE DEMOSTHENIS.

Cum tali Inſcriptione Bona Fortuna.

V. D. STANIS. KRSCZONOWSKI Leopol:

SEdes Ruſsiadum magnificis inclyta turribus,
Iucundam capiat lætitiam Clara LEOPOLIS,
Solertes etenim tot Iuuenes Alma ACADEMIA
Pulchris condecorat muneribus daphnidis entheæ,
Et fractos ſtudijs, excitat in prælia Palladis.
Hi ſunt, qui Patriæ grata dabunt lumina Conſiliî,
Pulſabunt tenebras cimmerias hi probitatibus,
Geſtabuntq; ſuis Herculeis viribus, aurea
Ornamenta Togæ, Iuſtitiæ, tum Sapientiæ.
Felix Palladijs Militibus Clara LEOPOLIS,

Tierd

Prēdit doctiloquæ KRSCZONOVIVS præmia Palladis,
Inter Castalidum cum socijs splendicat agmina,
Et Demosthenium fert clypeum, lemmate fulgidum:
Est Fortuna Bona, ô Magnanimi quid trahitis moras?
Plenis Oceanus laudibus est, pergite prosperè.

ANCYLE LACÆNÆ MATRONÆ.

Filio Clypeum appendens: Fili aut in hoc aut cum hoc.

V. D. CASIMIRO TVRZYK.

EXplicat Apollo doctus aquilas Martias,
Turmasque mites conuocat,
Auditur armorum sonitus ingens, fremit
Clangor tubarum murmurans,
Clamoribus magnis reboat æther, globi
Densantur almi militum,
Hastæque, clypei, & balthei circumsonant
Fulgore picti gemmeo,
Honoribus stipata centum fulgidis
Minerua regnat Dædala.
Assume peltam Miles inclyte, non tibi
Tristes pauores inferent
Formosa Phæbi tela, dulce prælium
In artibus, lethum haud ferox;
Impende conatum, vigilias ducere
Non tædeat te, prosperæ
Rhamnusiæ vehent benigna flamina,
Tuam per altum Cymbulam.

Jn Stemma Almæ Academiæ Cracou:



QVam grato renitent ACADEMICA ſceptra decore,
Quamq́ue peraugúſtas dant ſimul ambo faces.
Fruſtra molitur tenebras immittere triſtes
Æolus, in tenebris lumina clara dabunt,
Eſt cœlum radians ACADEMIA ſydera bina.
Solem, cum Lunâ, quam benè ſceptra notant.

SVB FELICISSIMIS AVSPICIIS.

Perilluſtr. & Adm: Reueren: D.

D. IACOBI NAYMANOWIC I. V. D.
Canonici Cracouien: Archidiaconi Pilecen: &c.
Vniuerſitatis Cracouieñ: Generalis Re-
ctoris longè Vigilantiſsimi.